C. R. BIBLIOTHECA UNIVER. IAGELL. CRACOVIENSIS
KAT-KOMP
3450
III. Mag. St. Dr. P

C[illegible] Univ. Jagell.

[illegible] Philosophor.

1704 15 martii

Poezya 2936

Gładyszewski Casimiri: Asylum Reginae Sapientiae in festo novo IX VV. DD. primae laureae Candidatis erectum.

ASYLUM
REGINÆ SAPIENTIÆ,
INFESTO ÆVO,
IX. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ CANDIDATIS

ERECTUM,

ac dùm ijdem

PER

Clarissimum & Admodum Reverendum D.

M. CASIMIRUM ZRZODLINSKI,

Phil: Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, Sancti ADALBERTI in Circulo Crac:

PRÆPOSITVM.

IN AVGVSTA D. IAGELLONIS AVLA,
ARTIVM & PHILOSOPHIÆ BACCALAVREI,
in florentissima Illustrium Hospitum Corona,
Ritu Solenni renunciarentur,

PER

CASIMIRVM GŁADYSZOWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidatum,
Pennâ plaudente


DEMONSTRATUM.

Anno per Incarnatum Verbum positi ASYLI,
1704. 15. Martij.

CRACOVIÆ,
Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord: Typ:

54
228.

IN GENTILITIVM
STEMMA
Perillustris & Adm: Reverendi Domini.



C. R. BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
3450 III

---- E medio fortunæ ductus ACERVO: *Iuven:*
-- Ego composito securus ACERVO
Dites despiciam, despiciamq; famem. *Tibul:*
Colliget ista manus Te fructificante manîplos
De quibus ipse Tui, componas horrea Cæli.
Arator.

Perillustri & Adm: Reverendo Domino.

D. THEODORO STANISLAO ZIELONACKI,

Philosophiæ Doctori, Ordinis S. BENEDICTI, CONGREGATIONIS TYNECENSIS; PRIORI & CVSTODI DIGNISSIMO.

INter horrida Gradivi Classica, & nefastos bellorum tumultus, vbi securius pupillæ Musæ invenire valeant ASYLVM, *quàm in sinu amplissimi favoris* Tui Perillustris & Admodum Reverende Domine. *Ioves enim Statores & Conservatores, columnas & firmamenta veritatis, vniversalis Ecclesia, magni* BENEDICTI *Filios (quorum, Tu apex & Corona existis,) semper venerata est.* Exul olim in Orbe *suæ ruditatis conscio Minerva, vbi singulare perfugium, decus, & tutamen, reassumpsit, nonne in Familia* BENEDICTINA? *quæ per Doctissimos in vtraq; scientia Viros, tot Athenas fundavit. Ipse Apollo iterum bubulcum egisset; nisi Celeberrimi Divinæ humanæq; sapientiæ Antistites* BENEDICTINI, *honorem ipsius restituissent. Parnassus & Helycon suis destituti Numinibus, squallorem suum non alibi, nisi in Monte Cassino novo Camænarum Pindo, in quem omne decus collectum est, orbis totius conscientiâ renunciante, deponere visi sunt. Steriles olim Polonorum Campi, deserta sua, tot sapientiæ oraculis diserta, vestro adventu effecêre.* Nempè *Tryneciam illati Aurei Trypodes* PIO CASIMIRO *Auspice non vnam Dodonam, sed centum Delphos fundaverunt. Nec aliud rudis illa, indigestaq; moles indocti populi, vitæ spiraculum assequi potuit, quam quod per tria & amplius sæcula Altissimi Numinis Vicarij* BENEDICTINI *inve-*

xere.

xere. Porro universam hanc laudum congeriem, Tu Perillustris & Admodum Reverende Domine, *Almo eruditißimi animi tui sinu complexus es. Si Orthodoxæ veritati Metempsychosin admittere liceret; certe ingentem illum Patrui Tui Spiritum in Te transmigrâsse crederemus. Quæ ipse cedris immortalibus dignißima egit, Tu, novis Pietatis, Prudentiæ, Eruditionis, auctoramentis instauras. In publica Orbis calamitate, sub cujus pondere immenso, etiam Atlantes & Alcidas fatiscere videmus, Te, velut Marpesiam cautem Capitolijq; immobile saxum stare, non sine stupore & extasi animorum contemplamur. Trynecia rupes firmamentum*BENEDICTINæ *Sanctitatis,Te iterum suum Præstitem elegit; vt fortitudineTua Invictißima fulciretur. Scilicet, qui alijs præeße & prodeße desiderat, Illi robur & æs triplex virtutum, omnino necessarium eße omnium bonorum Iudicio censetur. Sed vota hæc, quis felicius coronare? quis auspicatius desideria implere potuit? quàm mens Tua tersißima? quam gemmæ illæ inæstimabiles rectitudinis, quibus pretium ingens domi forisq; meruisti. Activæ & Contemplativæ vitæ Canon & Exemplar, hoc Magni Patriarchæ Inclytis Filijs præstas, vt Te certatim æmulando, Charismata meliora, vel imitari, vel admirari cogantur.* ACERVVS Tuus Gentilitius *Omnium virtutum copiâ & alimonia Cælesti opulentus, Divinæ Providentiæ penu, egentibus* ASYLVM *est, & sortis adversæ perfugium. Vacuum depingit posteritas; vtpote ex quo, non vno ævo pabulum & desideratißima commoda accipiunt vniversi. Quare & Iagellonicæ Camænæ, tot Archicænobij Tui favoribus auctæ, vt securiores nefasto sæculo permanere poßint; ad Virtutis Tuæ* ASYLVM *contendunt. Recipe illas illo animo, quo omnes Literatos amplecteris. Hierarchicus illarum numerus est; Choros Angelicos in Tua mente doctißima resonantes, & mærorem publicum solantes designans. Quidquid in earum commodum erogaveris, æternûm servabis: quia pro Te orabunt vt vivas Immortalis.* Hoc cum ipsis precatur.

Perillustri & Admodum Reverendæ Dominationi Vestræ.

Devinctißimus Servus & Cliens.

CASIMIRUS GŁADYSZOWSKI
Primæ Laureæ Candidatus.

D. JOANNI CANTIO

Sacræ Theol: Doct: & Professori Regni Poloniæ Patrono:

SACRO ASYLI PRÆSIDI, *fortissimo publicæ securitatis* ASSERTORI.

CARMEN VOTIVUM.

FAma celer vastas mundi subvecta per Oras,
Desine Romulidum tabulâ jactare capaci
Arces; nec tumidus genius demonstret ASYLVM,
Romulus immodico quod struxit belliger ausu:
Quò fugit scelerata diu latuitq; caterva,
Ac vbi duntaxat fuerat scelus vndiq; tutum.
Hîc non Assaraci trux Sanguinis Ilia Mater,
Sed Divûm veneranda Parens, Berecynthia felix
Progenuit Natum: Cracij Regina Lycæi,
Præside quo Sacrum securè staret ASYLVM:
CANTIVS ô niveæ mentis! Protector abundè
Præsidium vobis, gladios vibrante Gradivo,
Præstabit, vigilans Custos & Tutor ASYLI.
O quot morbus atrox lethali vulnere fixit!
Quot Libitina homines fatali falce peremit!
Quot desperatos inter moritura timores

Agmina luctifico plorabant funera lesso!
Ast ubi circumdant serventia vota IOANNEM,
Diffugiunt morbi, mortes pelluntur; ASYLVM
Inveniunt cuncti, quod præstat CANTIVS, Almum.
Quando igitur Lechicum sævit Bellona per Orbem,
Et secura quies Thulen transgressa; reliquit
Sarmaticum Populum prædam spoliumq; rapaci
Martigenûm dextræ, nulli quæ parcere novit:
O animæ tremulæ! contendite Busta IOANNIS
Obsequio redimire novo; venerarier omnes
Sollicitis Divûm precibus. Pater Inclyte, pressos
Mille malorum Æthnis ac Vitæ mille periclis
Protege; sis nostrum scutum, tutamen, ASYLVM.
Ah redeat tandem niveis provecta quadrigis
Aurea pax, Lechicos Campos optata revisat
Hospes hyperboreis, ô quàm rarissima terris.

PRÆSTANTISSIMIS AD ASYLVM REGINÆ

SAPIENTIÆ DVCTORIBVS,

CLARISSIMIS & ADMODVM REVERENDIS DOMINIS.

DD. EXAMINATORIBVS.

CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. PETRO ŁVZENSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, Ecclesiarum, Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Canonico, in Sieprаw Curato, interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. GABRIELI PROFECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, Ecclesiarum Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Canonico, in Michałow & Zebrzydowice CURATO.

CLA-

CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D.SIGISMVNDO LISOWIC,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Cursûs Philosophici Vladislaviani Professori, in Nawarzyce CURATO.

ODE EVCHARISTICA.

HAud placet Ductor, Cui grande Nomen
Non dedit virtus, redimita Lauro
Et cui Pallas renuit quietos
Ferre triumphos.

Quid juvat pompæ titulus superbus?
Cæsarem cæsis populis vocari
Gloriæ quodnam meritum secutum?
Horrida cædes,

Heu nimis duro satiate ludo!
Vrbium sævus populator, Orbis
Efferus prædo, rosei cruoris
Vasta Charybdis,

Arbiter belli truculente Mavors!
Nonne plus præstat placidis amoris
Civium gratos animos triumphis
Ducere vinctos?

Hinc vt immunis maneat Caterva
Palladis, tantos fugiatq; casus
Nunc Duces Doctos sequitur, sibiq;
Pandit ASYLVM.

Anteit Magnus Genius ŁVZENI
Quem Sophum celsis posuit Cathedris
Pallas, & Suadæ decus eruditæ,
Tollit in altum.

Mira virtutis Sapientiæq;
In Viro regnat sociata semper
Vnitas, quem jam rediens secundo
Purpura vestit.

Hinc tenet Summos Procerum favores;
Evehit fortis WIELOPOLSCIANVS
Cornipes, ejus meritum per amplum
Culmen Honoris.

Summa Parnaßi Cracidum voluptas
Clare PROFECKI, probitatis icon
Mentis excelsæ Sapientiæq;
Phœbus es alter.

Ingeni

Ingeni quantum documen Lycæis
Lechicis monstras, Cathedrisq; summis
Mentium victor fueris, loquuntur
Publica Rostra.
Principem sedem venerandus Ostro
Porticûs Nostræ solitus tenere,
Principum Doctor, meritas curules
Rite capesse.
LISOWI laudes mea Musa nescit
Eloqui, digno celebrare plausu,
Quem colit Pindus Novoduorscianus
Laude perenni.
Quem stupent doctæ Cracides Camenæ
Quando Stagyræ genio Melissos
Atq; Leucippos superat ligata
Dogmata solvens.
Seu placet Tulli fluidus loquendi
Atq; scribendi modus, & Maronis
Vena, facundo veniunt ab Ore
Flumina fandi.
Ergo cum tantis Ducibus pericla
Temnimus, nec non celebres ASYLI
Prêndimus metas, memori referre
Pectore grates.
Currimus, Votum Superis ad astra
Mittimus, claras numerare faustos
Vt dies possit, Filijq; vivat
Ternio seclum.

ASYLUM
REGINÆ SAPIENTIÆ
ERECTVM.
I. V. D. NICOLAO STETKIEWICZ Leop:

ASYLVM Herculis Athenis institutum. *cum Lemm:*
Contendis tutus Ductore Leone.

PAssibus ambiguis non vnus tentat ASYLVM
Prêndere; sed subitò funesta pericula casu
Cepta negant, mediosq; solent infringere gressus.
Ac Tu magnanimus, dûm prodis, cuncta periĉla

STETKIEVI; temnis generoso culmine mētis:
Nempe Leo socius, nativâ sede remotum
Te comitatur ovans, ingentes & ciet ausus.
Sed magè virtutis propriæ conamine tendis,
Quò Te tuta quies, quò Te Sapientia Mater
Advocat; Hæc quantis votis Te vendicat, atq;
Cecropidum petiêre Lares, & docta Cleanthis
Atria? Forma Viri non tam miranda Camænis,
Quàm dum se medijs pollens facundia Rostris
Exeruit, flexitq; animos, imitata Quirini
Eloquij Patrem: Tùm Te Sibi Vultus amænus,
Virtutis Species commendant; atq; Corymbo
Hoc viridante Caput circumdant; qui Tibi faustè
Germinet & vireat majori semper honore.

II. V. D. ANDREÆ TVCY Crac:

ASYLVM Cadmi Thebarum Conditoris. *Cum Lemm: Alitibus faustis jam prendis ASYLVM.*

LAuream Phæbus Tibi dat Coronam,
Flosculos nectit Chorus eruditus,
TVCII: doctam redimire frontem,
Semper anhelans.
His manes dignus, bona qui Minervæ
Prêndis, & sciè genio sagaci
Explicas artes, & in alta tendis
Dogmata vatum.
Emicat virtus, pietasq; magna,
Quâ colis Cæli Dominum, Parentem
Numinis castam venerando, Sacra
Vota frequentas.
Ergo jam faustis oriunde tectis,
Atq; Lucinâ celebri, serenos
Infer in postes caput eruditum
Prosper. ASYLVM
Occupa dextris Avibus, Craciq;
Floreas Musis, probitatis omnem
Exhibe normam, studijq; celsi
Serta capeße.

IV. V. D. IOANNI WVIOWSKI.

ASYLVM Ajacis, quod in Rhæteo littore innocentibus tuendis extruxerat: *Cum Lem: Phæbo comitatus adibis.*

CVm nos bella premant horrida tàm diu,
Cùm Bellona furit, nec requiescere
Nostras Pegasides sinit:
WVIOWÎ probitas luctiferam fugit
Fati sævitiem; nec penitus timet
Belli summa pericula.
Nàm tutus sapiens, sanguineum licèt
Mars bellum moveat, diraq; funera
Terris multiplicet nimis.
Ingentes animos dat Sapientia,
Quam nunc ingenuè WVIOWIVS colit,
Gaudens præsidio bono.
Phæbus Laurigeris cinctus adoreis
Invictum comitem Te sibi præstitit
Lauro condecorans Caput.
Faustis ergo celer passibus advola
LVCÆ, quò traheris culminibus Tui;
Vivens Pierio Choro.

V. V. D. IOSEPHO POLECKI.

ASYLVM Achillis Græcorum fortissimi, in Sygæo constitutum. *Cum Lemm: Fortis dùm vadit, apertum.*

GRæciæ summum decus, ac Achivi
Nominis præstans basis & columna,
Inter heroas melior Pelasgos,
Dexter Achilles,
Pandit, ad Portum positus Sygæum,
Inclytos magni titulos honoris;
Tuta quòd cunctis referet benigni
Limina ASYLI.
Hæc subintranti Tibi gratulari
Debeo; largos recipis favores,
Grande virtutis pretium, celebre
Culmen honoris.
Fortis es nec, Te validi labores
Docte POLECKI tenuare possunt:
Quos triumphali superas lacerto,
Herculis instar.

Crescet

Crescet in Stoa Tua Fama; cujus
Prælijs doctis aderas frequenter;
Crescet æternùm rutilans modestæ
Gloria mentis.

VI. V. D. MELCHIORI KICINSKI,

ASYLVM apud Molossos situm, festinantes in securitatem recipiens: *cum Lemm: Properata prosperata.*

STellarum Cursus celeres, motusq; Polorum
Continuos certè mens sapientis habet.
Nam prout Vranie gaudet non deside passu;
Sic animus docti currit ad astra libens.
Ac velut Astrorum Princeps festinus in Ortum
Lustrát in æthereis culmina cuncta locis.
Sic sapiens, ratione means, per climata mundi
Cælestis rapidum transilit Orbis iter.
Hæc tua KICINI, signat molimina mentis
Excelsæ Pallas, fausta precando Tibi.
Ad sacrum cursu propero dùm tendis ASYLUM,
Ductor Aristoteles, Te comitatur ovans.
Asistit Regina Tibi Sapientia, cujus
Ingrederis passu limina celsa celer.
Scrutator Cæli vigilans, studijq; superni
Cultor, vt à superis præmia digna feras.
Cæptos perficias cursus, altæq; Cathedræ,
Taliter Vranies omine certus eris.

VII. V. D. IOANNI STANISZOWSKI,

ASYLVM Palladis, quod, in Templo ejus Lacedæmonij reverenter habebant: *cum Lemm: Salus à Pallade fertur.*

STupenda raro gesta Quiritium
Vicère facto tunc Lacedæmonî,
Dùm Palladis sumptu superbo
Magnificum posuère ASYLVM.
Nàm quid necesse est imperio magis,
Quàm templa docti Numinis? vt suam
Defendat asseclas ad Aram,
Qui fugiunt ruditatis hostem.
Hanc Tu stetisti rite faventibus
Divis, ad Aram, docte STANISZEVI;
Qui barbaros vitans Corabos
Palladium petijsti ASYLVM.

 Secura

Secura duces tempora, & ampliùs
Non pertimeſces tela Licinij;
Quæ ſenſerat Cœtus, Minervæ
Præſidio ſpoliatus omni.
Sic eruditis eloquij feres
Munimen almum dotibus, & novum
Honoris augmentum parabis,
Nectareæ gravitate Suadæ.

VIII. V. D. CASIMIRO PIĄTKOWSKI,

ASYLVM Oſiridis in Ægypto juxta Saim poſitum; *cum Lemm. Proteget ipſe labor.*

DEcipitur, validam quisquis ſuper arce quietis
Protectionem quæritat.
Nunquam tutus erit, quem deſes inertia vano
Scuto, cupit defendere.
Quippe gravi cunctos ſuevit ſocordia caſu
Propellere in pericula.
Defendit meliùs proprios labor ipſe clientes,
Omnes fugans injurias;
Alcidam potuit cunis ſervare jacentem,
Ab anguibus Iunonijs.
Illius ad nitidum quisquis concurrit ASYLVM,
Nunquam caret tutamine:
Ingrediare patens hoc limen Oſiridis almum,
Magnus labor Te proteget.
Qui ſecurus abhinc vincendas ibis in omnes
Perplexitates arduas.
Quas, vel Ariſtoteles Princeps Ductorq; Sophorum,
Obtrudet inter porticus;
Vel præſtans Cicero, Romanæ gloria Suadæ,
Opponet inter exedras.

IX. V. D. GEORGIO KOSTOWSKI,

ASYLVM Ithacenſium Iovis Servatoris Arâ inſignitum. *cum Lemm: Superûm protectio tuta.*

ITHaca dextra quadro quondam de Marmore Sacrum
Statori pietatis opus, quod ſtruxit ASYLVM;
Auſpicio meliore Tibi vult ecce dicari
KOSTOVI. Decuitq; Iovis poſuiſſe præaltam
Aram; cùm virtus cultu comitata modeſtæ
Mentis ad excelſos placidè conſurgit honores.

Arpinas

Arpinas Tibi sponte suum cessisse videtur
Eloquij suadæq; decus, Stoicumq; Lycæis
Ingenium patuisse Tuum testatur apertè.
Constans nempe foret cùm mens Tibi; nec quoq; Sparthas
Linquere suevisti, duros sed ferre labores.
Sic solidus solidè postquam præstantia nôsses
Dogmata, nec varijs vinci patereris Elenchis,
Musa Tibi meritò præsens attollit ASYLUM;
Unde venire solet superûm protectio tuta,
Quæ casus vincens fert munera larga bonorum.
Ergo tutus eris tanto munimine felix,
Nec metam pones venturo doctus honori.

III. V. D. CASIMIRO GŁADYSZOWSKI

Primæ Laureæ CANDIDATO,
Authori Operis,
in vim fraterni affectûs

IOANNES WVIOWSKI

Ejusdem Laureæ CANDIDATUS,
Aram Delphicam Apollinis, & Laurum eidem Sacram contra fulmina fatorum, ASYLA & ornamenta offert,

CUM LEMMATE:
Tutatur & ornat.

ABsiste Mavors prodigialibus
Orbem ruinis tundere, fulmina
Belli cruenti, quæ perurgent
Viscera terrigenum, retorque.
En eruditis mentibus optimam
Apollo Ductor lauripotens gerit
Mali medelam, Delphicoq;
Protegit innocuas ASYLO.
Dilecta Musis Pignora qui canit
Docto Cothurno, Castalio cui
Implevit ora melle Phóèbus,
Suadaq; dulciloquis recoxit;
Demonstrat aram ducit & intima
Suos amicos in penetralia,
GŁADYSZOWI pulcher, catervæ
Aoniæ decus & corona.

Præclara docti pulpita consilî
Viri probabant robur in arduis,
Firmumq; pectus & paratum
Difficiles resecare nodos.
Ergo peramplis dignus adoreis
Dexter Lechæas Pegasides diu
Saturnium colat per ævum,
Numinibus placeat supernis.



SUB FELICISSIMO REGIMINE,

Magnifici, Perill: & Adm: Rndi Domini,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

I.V. Doct: ac Prof: Ecclesiæ Collegiatæ, SS. Omnium Crac: Custodis, Curati Luborzycensis, Roszczeviani & Contubernii Philosophorum Provisoris, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025682